

SECTIO I. Dicta eorumq; connexionem & dispositionem exhibens.

§. 1. Ut ipsa dicta corda nostra animosq; eo firmiter occupent, optimum erit, eadem tamen in originali sua lingua, quam versionibus quibusdam exhibere.

Dictum Johanneum C. V, 39.  
Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς.  
Syriace: כִּזְכֹּרֵי סֵפֶר

Scrutamini Scripturas, juxta Vulgatam, quam hic communiter sequuntur, et si Jo. Lightfoot in Horis Hebraicis reddere malit: Vos inquiritis in Scripturas.

B. Lutherus: Suchet in der Schrift.

Nonnus in Paraphrasi: γραμμάτων θεορρήτων μαρτύρια θεοφάτα βιβλίων. Quæ verba ita vertit Hedeneccius Med. D.: scripta diviniloquorum inquirite, oracula librorum.

Dictum Jesaianum c. XXXV, 16.

רְשׁוּ מֵעַל סֵפֶר יְהוָה

quod Chaldaeus vertit:

תְּבַעוּ מֵעַל סֵפֶר דְּיְי

Vulgatus: Requirit diligenter in libro Domini.

Junius: Quærite ex libro Jehovahæ.

Tigurina: Sciscitami ex libro Domini.

B. Lutherus: Suchet in dem Buch des Herrn.

LXX. Verba illa plane omiserunt, substitutis eorum loco sequentibus: ἀρεθίμου σαφήλου.

§. 2. Ad connexionem dicti nostri Johannei quod spectat, ex ipso capitis Vti, ad quod dictum istud pertinet, initio clare patet, in festo Judæorum scil. Paschate, (ut deinceps, DEO, juvante, probabimus) sermonem illum, cujus partem quandam verba considerationi nostræ exposita constituunt, a Salvatore nostro ad Judæos habitum esse, cum nimirum nefarii illi judæi ob ingens miraculum, sanatione hominis gravi morbo jam 38. annos affecti, prope lacum Bethesda die Sabbathi peractum, & nomen Filii DEI ipsi Christo tributum, Salvatorem acerbè persequerentur & occidere quærerent. Hæc enim molimina perspiciens Jesus de vera